



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXVI. De solennibus supplicationibus pro auertenda mortalitate
institutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

quod factum erat diuinum miraculum censentes, Imperatoris erga Deum pietati adscribebant, quod non virtute & viribus aut potentiâ Imperatoris, sed religione Deus flexus esset. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. arcum conteram & confringam arma & scuta comburam igne pestilentia.

CAP. LXVI.

De solemnibus supplicationibus pro auertenda mortalitate institutis.

Vetustissimus in Ecclesia mos sacras supplicationes quas etiam Litaniâs vocamus indicere tempore publicæ alicuius necessitatis, in quibus sanctorum reliquiâ circumferiebantur aut eorum sacræ imagines ac Litaniâ à Clero decantabantur, vt sic sanctorum meritis quod proprijs, vtpotè peccatores, non possumus, dum toties à nobis in subsidium aduocantur, quæ petimus faciliùs impetremus. Pueri aut statura pusilli qui introitum ad ædes magnatum desiderant, neque tamen defectu longioris staturæ nolas portis illorum appensas attingere vel pulsare possunt, altiores quospiâ aduocât vt pro se easdè pulsare dignetur quatenus sic audiri intrare valeant. pusilli omnes sumus in bonorû operû meritis, & illâ tam altè suspensam diuinæ misericordiæ nolâ pulsare non valemus. quid cõsilij? audiri cupimus, intrare desideramus, & tamè pulsare nō valemus? en vt à Domino misericordiarû audiri & exaudiri mereamur, coelestes indignas qui in meritis altissimi sunt, in & advocare debemus, qua-

quatenus pro nobis diuinæ misericordiæ nolam pulsare dignentur. hoc facimus quoties clamamus, S. Maria, S. Petre, S. Paule ora pro nobis, omnes sancti Dei intercedite pro nobis. ita nos docuerunt pij nostri maiores, qui tempore mortalitatis eas indixerunt, & religiosè frequentarunt. ita vt vidimus jam suprâ, pro auertenda grauissima illa lue Romæ grassante S. Gregorius eas ibidem indixit. pro auersa, easdem S. Gallus Aruernis ordinauit.

Quid Remenses fecerint, in S. Remigio suprâ diximus, & de Gandensibus in S. Macario, atque de alijs alibi. Quocirca piè admodum Carolus Magnus Imperator inter varia à se edita religiosæ deuotionis decreta, hoc etiam ordinauit: Si euenerit clades, fames, pestilentia & inæqualitas aëris vel alia qualiscumque tribulatio, non expectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur Dei misericordia. Quorum intuentes exitum conuersationis & deuotionis, imitati sunt præuia exempla ciues Antverpienses simili malo afflictæ.

Cùm enim anno 1529. mense Decembri nouum morbi genus quod Sudorem Anglicum, vel Anglicam pestem sudatoriam, eò quòd ab Anglia originem suam duxisset, nominarunt, Germaniam & Belgicam miserè depopularetur, aded vt Antuerpiæ tridui spatio quadringentos, aut quingentos homines extinctos testetur Erasmus; Clerus, Senatus & populus Antverpiensis ad Deum & sanctos eius confugientes solemnem supplicationem ipso die S. Michaelis placando Deo instituerunt, ac subito malum serpere desijt. In cuius beneficij memoriam etiamnum quotannis isto die solemnem Antverpienses celebrant supplicationem, singulis de Clero Populoque ardentis cereos gestantibus. Certè infinitis

exem-

in Capit.
l. 1.

Epist. 1.
26. ep. 56

Vide Ro-
la. Mech-
lin. Guic-
card. Lo-
cium.

exemplis rem hanc deducere possem quibus Deus ostendere dignatus est, quàm gratæ & acceptæ sibi sint huiusmodi supplicationes: sed tœdio Lectori forem, & res ipsa notissima est maximumque huic confirmando argumentum, Christianos scilicet per has sæpissimè fuisse exauditos & ab impendente malo liberatos, quandoquidem ita passim & continuò ab exordio Ecclesiæ, & etiamnum hodie vbiuis terrarum fuerint & sint in vsu. Si bellum ingruat, si pestis sæuiat, si cœlum steterit, si aquæ exundent, si motus terram quatiat, si quæcumque calamitas populum affligat, ad supplicationes, ad Litanias sanctorum mox fideles confugiunt, experti toties subsidium & leuamen. De singulis qui testimonium cupit, legat tomum secundum speculi exemplorum, & integros cumulos reperiet. Verùm nihilominus quod ad ad rem nostram & simul Belgicam illustrandam spectat, omittere non possum.

Cap. 4.
Tirulo 27
& 28.

Anno à Virginis partu nonagesimo supra millesimū secundò sub Præsule Tornacensi Rabbodo, pestilens quidam æstus totam Nerviorum Prouinciam adedò infestauit, vt corpora ipsa hoc ardere incendio, torreri, consumi que omnium passim oculis viderentur. Cùm verò pestilentia vis vicinarum se regionum finibus minimè cōtineret, à remotissimis quique partibus hoc diuinae vltionis igne inflammati ad augustissimam Deiparæ Virginis ædem tamquam ad saluberrimum fontem summo studio contendebant. Mox vbi longè lateq; percrebruit fama multorum ignes Dei benignitate extinctos esse, tantus ad eam ædem factus est laborantium concursus, vt superuenientibus infirmis nullus omninò pateret ingressus, sed pro foribus in ipso atrio Deiparæ imaginem, quæ etiamnum visitur diciturque Imago infirmorum,

Q q

jace-

jacere cogebantur. Quoniam verò locus ille præ multitudine hominum pestilenti hoc igne infectorum, tantum foetore ederet ut ab ingredientibus tolerari non posset, à Cleri principibus atque Canonicis cogente ad id necessitate decretum est ut templo amouerentur ij quorum tibias combustis iam pedibus violentior ille incendisset æstus & de quorum salute conclamatum esset. qui ita eiectioni quia ob pestilentissimum, quo omnia inficiebant, nidorem, nullum in alijs Parochialibus Ecclesijs perflugium habere poterant, ad Diui Martini tunc temporis vacuam & cuius patentem, à suis deferebantur, ibique terræ mandabantur, qui ignea illa tabe confecti interierant. cuius pestilentia ita in gregem suam defæuentis vi ac furore permotus Præsul Rabbodus, conuocato totius Prouinciæ ad B. Virginis populo, coactisque in unum omnibus, verba fecit ad permouendos animos aptissima, ad pietatem in mentibus excitandam accommodatissima, & ad iustam criminum ultionem agnoscendam maximè idonea. quin & ipse plus mille iuuenum totondit comas (credo hos cincinnatos & calamistratos fuisse ut femina comptos) vestesque in terram nimio luxu defluentes, libidini potius quàm necessitati seruientes diuini in nos furoris irritamenta, præcidit. Deinde vniuersis sextâ feriâ integrâ vsque ad noctem jejunare præcepit, ita ut nec etiam infantuli nutricum papillas sugerent. Prætereà insequenti S. Crucis exaltatione, celebrem supplicationem cum sacris beatorum pignoribus, nudis circum moenia peragendam pedibus instituit edixitque. qua quidem religiosè sic instituta, additis multorum orationibus & eleemosynis, compressus est pestilentie graffantis furor, & iram Domini in misericordiâ conuersam cuncti experiuntur. Solemnis autem illa supplicatio circum

cum

cum moenia ipso Crucis exaltatæ die constituta, in has
 vsque temporum calamitates deducta est, aded vt de
 remotis circumpositisque regionibus ad eam interdum
 centum ferè millia, homines promiscui sexus & ætatis,
 conuenerint. Hactenus ex archiuis & monumentis Ec-
 clesiæ Cathedralis S. Mariæ Tornac. Ex quibus simul
 cognoscas antiquam eamque laudabilem piorum fideiũ
 consuetudinem nudis pedibus sacras supplicationes aut
 stationes tempore afflictionis obeundi. ita legimus cùm
 Christianus Duce Godefrido Bullonio exercitus, in ob-
 sidione Ierosolymitana victus & aquæ penuriã labora-
 ret, ex communi decreto indictę sunt Litanię, & assum-
 ptis crucibus & sanctorũ patrociniis Episcopi & Clerus
 nudis pedibus populum subsequenter usq; ad montem
 oliueti præcesserunt; octauo autem humiliationis die, ob-
 sidionis autem 39. vrbs capta est eo videlicet die quo
 primitiua Ecclesia inde abiecta fuit, cùm festum de di-
 spersione Apostolorum celebratur. Sic Werherus Comes
 qui à Rege impetrauerat Kirchber, villam Monasterij
 Hirsfeldensis, mordaciter iocabatur se Monachos tepi-
 dos ad jejunia & nudipedalia coegisse, qui sacra hæc ar-
 ma contra hostem suum inuasorem bonorũ Ecclesiasti-
 corũ obiecerant. S. Lietbertus Cameracensis Episcopus
 solitus erat noctu pedibus nudis Ecclesias & cœmeteria
 circuire. Dices eam fuisse promiscuã quotidiani incessus
 apud primitiuos Christianos cõsuetudinem, adeoq; nihil
 peculiaris afflictionis videri præ se ferre. Lucianus enim
 habitum Christiani hominis describens ait: Palliũ putre,
 sine calceis & tegmine, capite incedens detonsa coma.
 Ideoque Apostoli à quibusdam pinguntur nudipedes, &
 Greg Nazian. inter exercitia Monachorum ponit pedes
 nudos, Apostolicisq; similes, secundum illud Matth. 10.
 Non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta. „

Io. Moli:
 in nat. SS.
 Belg.
 15. Jul.

Lamb:
 Schast.
 an. 1064.

Mol. sup.
 23. Iunij.

Luc. in
 Philop.

Orat. 1.
 de pace.

Qq 2

Sed

Sed respondeo, esto fuisset illa quotidie apud ipsos incedendi consuetudo, nobis tamen jam multum foret afflictiva, utpotè, qui in tantum à feruore illorum declinauimus.

Dico 1. Apostolos alios que Christianos non incessisse promiscuè nudis omninò pedibus, sed sine calceis qui totum pedem tegerent, quorum loco sandalijs utebantur, quæ plantam quidem pedis defenderent ab incurrentibus viæ incommodis, verùm superiorem pedis partem sinerent nudam. Ideò S. Marcus Euang. ne id quod dixerat Matthæus, malè intelligeretur, scripsit sandalia Apostolis fuisse concessa: *Sed calceatos, ait, sandalijs*: Sicque intellige loca Scripturæ: *Cuius non sum dignus soluere corrigam calceamenti*, portare calceamenta. item, *Calcea te caligas tuas. & State calceati pedes in preparationem Euangelij pacis.* nam & Tertull. in lib. de pallio significat calceos totum tegere pedem, ac suo tempore Christianos ferè sine calceis incessisse nudis pedibus, asserens parum virile esse calceos gestare.

Afflictionis igitur signum sunt nudipedalia quibus etiam hodie pij Catholici vtuntur dum stationes sacras obeunt, vt in hac Brabantia supplicationum tempore Antuerpiæ, Bruxellis, Louanij atque alijs locis sæpiùs vidi, quos contumeliosè immò blasphemie aduersarij nostri, *Trap-gansen*, vocant, finistrè interpretantes & malè abutentes illo Jeremiæ: *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti.* quod tamen Propheta monendo Judæos dicit, ne scilicet in Ægyptum vel Assyriam currât, idolorum & idololatrarum auxilium quærentes, nudis pedibus Nilum vel Euphratem transeundo, & ne siti præ labore se macerent, studens eos hoc pacto ab idololatria auocare. Sed nostri sectarij nimis delicati, nimis mol-

Marc. 6.

Matth. 3.

Marc. 1.

Actor. 12.

Ephes. 6.

Vide Mo-

lin. de

piet. c. 32.

Jerem. 2.

molles, & minùs abstemij, omnia ad suas nequitias paliandas secum trahunt, & Scripturę sacrę natum cereum affingunt.

CAP. LXVII.

Derisores sacrarum Litaniarum & supplicationum non semel peste punitos esse.

Lutherus & eum secuti Magdeburgenses centuria 3. cap. 10. in Tertulliano, processiones & Litanias publicas referunt ad Montani hæretici ceremonias, & Tertulliani errores. Sed, vt omnia, falsò & friuolè. Iubet enim Deus eas indici sapissimè in Scriptura, vt Ioelis 2. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, &c. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini & dicent: Parce Domine, parce populo tuo & ne des hereditatem tuam in opprobrium.* Per easdem corruerunt muri Ierechuntini, indixitque eas David & Iosaphat reges piissimi. imò eas sanxit Christus suo facto & exemplo dum publica populi processione ingressus est Ierosolymam in die Palmarum cum hymnis & canticis, ramis psalmarum & ornamentis tapetum. — Carolus Magnus Imper. Litania, inquit, maior more Romano 7. Kalend. Maij celebretur. ita anno 36. Imperij Theodosij, cùm Constantinopolis terræ motu quateretur, totus populus supplicans clamauit, *Kyrie eleison*, & liberati sunt. Vidimus superiori capite quòd cùm Antuerpia nondū esset nigra illa hæreseos fuligine aspersa, sed tota pulchra sine

Qq 3

ma-